



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus theologici iuxta scholasticam huius temporis
Societatis Jesu methodum tomus ...**

Amico, Francesco

Duaci, 1640

Dispytatio Decima. De Incomprehensibilitate Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82000)

allata testimonia vel Scripturæ, vel Patrum de cæteris Sanctis conuincunt; solum enim probant peculiarem quemdam modum cognoscendi Deum, semper tamen intra mo-

dum abstractiuum & ænigmaticum, proprium hominum in hac vita degentium, vt ipsemet Pontifex Euaristus docuit.

DISPUTATIO X.

De Incomprehensibilitate Dei.



ROSTR attributum cognoscibilitatis sequitur attributum incomprehensibilitatis, quod multi inuoluunt in ipso attributo cognoscibilitatis, quatenus idem Deus, qui intuitiue à creatura videri potest, adæquatè & comprehensiue cognosci non potest. Nos claritatis gratia hæc duo attributa, saltem inadæquatè in Deo distinguimus: cum aliud formaliter sit, ipsum intuitiue tantum cognoscere, & comprehendere. Disputamus autem hic de Comprehensione, non vt importat optatæ rei consecutionem, quo pacto omnes Beati dicuntur comprehensores, quoniam assecuti sunt, quod tantopere optarunt; sed vt dicit adæquatam obiecti cognitionem. Quoniam verò proposita controuersia tota pendet ex natura ipsa comprehensionis, antequam disputemus, an Deus sit à creatura incomprehensibilis, disputandum erit de natura ipsa comprehensionis.

SECTIO I.

In quo sita sit formalis ratio comprehensionis?

I. PRIMA sententia Ochami in 4. q. 13. art. 1. & Gabriel in 3. dist. 14. art. 3. dub. 2. opinantur, comprehensionem esse cognitionem omnium perfectissimam, quæ de obiecto haberi potest: quo pacto nulla creatura ab alio comprehendere potest, quàm à solo Deo; quia sola cognitio Dei est omnium perfectissima. Verum hæc exploditur ab omnibus, eoquod mensura perfectæ cognitionis non est desumenda ex perfectione cognoscentis, sed cognoscibilis, vt nimirum tam perfecta sit cognitio in repræsentando, quàm perfectum est ipsum obiectum repræsentabile. Cuius ratio à priori est, quia cognitio non debet in repræsentando adæquari cognoscenti, sed cognoscibili; est enim cognoscibilis, non cognoscentis expressio. Tanta igitur debet esse cognitionis perfectio, quanta est obiecti cognoscibilitas, vt illius comprehensio esse ac dici possit.

2. SECUNDA sententia est Bannez 1. p. quæstione duodecima, articulo 8. §. contra.

De Deo. Tom. 1.

Zumel disputatione prima. Vasq. disp. 53. c. 4. Granadi tom. 1. tract. 5. disputat. 13. Fasoli, Suar. lib. 2. de Attributis diuinis cap. 29. & 3 p. Disput. 26. sec. 1. affirmantium, ad comprehensionem sufficere cognitionem extensiuam omnium, quæ vel formaliter, vel eminenter sunt in obiecto, vt hinc facile deducant, non posse Deum ab intellectu creato comprehendere, quia licet videantur omnia, quæ formaliter sunt in ipso, non tamen videntur aut videri possunt omnia, quæ fieri possunt ab ipso; & consequenter licet videatur totus formaliter, non tamen videtur, aut videri potest totus eminenter, quod est videri totum, non autem totaliter. Probatum primò. Ex Augustin. epist. 112. cap. 8. vbi docet, ad comprehensionem tantum requiri, vt nihil rei visæ lateat videntem. Confirmatur, quia tunc locatum comprehenditur à superficie corporis locantis, quando totum locatum continetur intra superficiem ipsius locantis: ergo tunc res comprehenditur cognitione, quando tota rei entitas & perfectio continetur intra notitiam ipsius cognoscentis.

3. Secundò probatur eadem sententia auctoritate Sancti Thomæ 1. p. quæst. duodecima, articulo octauo, & 3. p. q. 10. articulo secundo, & quæstione octaua, de veritate articulo quarto. In quibus locis probatur, ideo beatos non videre omnia, quæ sunt in Deo eminenter, quia alioqui comprehenderent Deum. Quæ illatio, vt concludat, supponere debet, comprehensionem esse solam cognitionem extensiuam eorum, quæ formaliter & eminenter continentur in Deo; alioqui si requireretur præterea certa aliqua perfectio & intensio cognitionis, possent omnia in Deo videri & adhuc non comprehendere, quia posset non videri cum ea claritate & intensione, qua obiectum ipsum posset videri.

4. Tertiò probatur à priori: nam comprehendere obiectum est ipsum cognoscere quantum cognoscibile est ex parte obiecti, non autem quantum cognoscibile est ex parte cognoscentis: Sed tunc obiectum cognoscitur quantum cognoscibile est ex parte obiecti, quando omnia, quæ sunt in obiecto formaliter & eminenter, cognoscuntur: ergo ad comprehensionem sufficit extensiuam cognitionem eorum omnium, quæ quoquo modo

Zumel.
Vasquez.
Granadus.
Fasolus.
Suar.
Augustin.

S. Thomas.

Ocham.
Gabriel.

Bannez.

Q

sunt

sunt in obiecto. Maior constat, nam comprehensio adæquari debet cognoscibili, non cognoscenti. Minor probatur, quia tunc obiectum cognoscitur quantum cognoscibile est ex parte obiecti, quando tota ipsius intelligibilitas adæquatur actu ipso intelligentis; tunc autem tota intelligibilitas obiecti adæquatur actu ipso intelligentis, quando tota ipsius entitas tam formalis, quam eminentialis cognoscitur; nam intelligibilitas adæquate consequitur entitatem, nec potest obiectum plus habere de intelligibilitate quam de entitate; ergo si totum cognoscitur quoad entitatem, totum etiam cognoscitur quoad intelligibilitatem.

Richardus.

Scotus.

Durandus.

Bassonus.

Aureolus.

Sotus.

Capreolus.

Ferrariensis.

Molina.

Arrubal.

S. Thomas.

5. TERTIA sententia est Richardi in tertio distinct. 14. articulo primo, questione quarta. Scoti questione secunda §. in prima quæst. ad secundam probationem, Durandi questione prima, num. decimo, Bassoli questione secunda in fine, Aureoli quodlibeto 10. articulo primo, Soti in quarto distinct. 49. questione tertia, articulo primo ad secundum, Capreoli questione sexta, articulo tertio ad obiecta Aureoli, Ferrariensis. tertio, contra Gent. cap. quinquagesimo quinto, §. ultimo, Molina 1. p. questione duodecima, articulo septimo & octavo, disputatione secunda ad primum, Arrubalis disputatione vigesima tertia asserentium, cognitionem comprehensivam non solum debere adæquari obiecto extensivæ, quoad omnia, quæ in ipso sunt formaliter & virtute, sed etiam intensivæ, quoad claritatem ab ipsa obiecti intelligibilitate exigitam.

6. Quæ sententia verior est, & procul dubio Sancti Thomæ, qui ad comprehensionem non solum requirit adæquationem extensivam, sed etiam intensivam in claritate obiecto commensuratam, vt 1. p. questione duodecima articulo septimo ad tertium explicat, idem beatos non comprehendere Deum, quia licet totum Deum videant, non tamen vident totaliter; non quod totus, inquit, modus obiecti non cadat sub cognitione, sed quia modus obiecti non est modus cognoscentis, quia licet videant Deum infinitum, non tamen ipsum vident infinitè. & 3. p. questione decima, articulo secundo ad tertium. *Quantitas*, inquit, *scientia non solum attenditur secundum numerum scibilium, sed etiam secundum claritatem cognitionis*: & questione octava, de ver. articulo secundo ad secundum. Tunc, inquit, dicitur aliquis alterum videre totaliter, quando ipse visio habet modum totalem: & hoc est, quando ita perfectus est modus visionis ipsius videntis, sicut est modus visibilitatis ipsius rei, vt si quis opinione cognoscat, quod cognoscibile est demonstratione: & ad ultimum, *Ipsa*, inquit, *immensitas Dei videbitur, sed non videbitur immense, videbitur enim totus modus, & non totaliter*. Vnde semper totalitatem visionis, ad comprehensionem requisitam, explicat ex parte actus, vt nihil aliud sit, obiectum totaliter videri, quam videri eo claritatis gradu, quo visibile est obiectum.

7. Fundamentum huius sententiæ est, quia comprehensio non est qualiscumque cognitio, sed cognitio adæquans totam cognoscibilitatem obiecti: sed obiectum non solum est adæquabile extensivæ, sed etiam intensivæ: ergo cognitio adæquata tantum extensivæ, non est obiecti comprehensio. Maior patet, quia obiecti comprehensio est cognitio omnium perfectissima, quam obiectum ipsum exigit. Minor probatur, nam quodlibet obiectum, etiam indivisibile, est natura sua determinatum potentia ad certum gradum claritatis, propriæ cognoscibilitati commensuratum, vt inductione constat tam in sensibilibus, quam intelligibilibus; omnia enim obiecta non solum habent vel per se, vel speciem sui determinare potentiam ad simplicem notitiam, qua ipsorum naturæ simpliciter cognoscantur, sed etiam ad notitiam, cum certa claritate & intensione, propriæ cognoscibilitati commensurata. Cuius ratio à priori est, quia obiectum non terminat cognitionem, nisi ad illam concurrat obiectum ipsum per propriam virtutem determinativam, commensuratam propriæ cognoscibilitati. Vnde cognitio, quæ adæquatur virtuti determinativæ obiecti, adæquatur etiam cognoscibilitati eiusdem: nam eatenus obiectum dicitur cognoscibile, quatenus est determinativum potentia ad cognitionem sui; mensura enim virtutis determinativæ obiecti, est ipsa cognoscibilitas obiecti, quia finis & terminus virtutis determinativæ ipsius obiecti, est adæquata cognitio sui: cuius signum est, quia species, quæ est proximum determinativum potentia ad cognitionem obiecti à quovis obiecto creato, etiam intellectuali & libero, producitur necessariò, quia quod necessariò producitur, adæquate producitur, quia secundum adæquatum posse virtutis producitur: igitur cognitio, quæ solum extensivæ, & non etiam intensivæ, & in claritate adæquat cognoscibilitatem obiecti, non est obiecti comprehensio.

8. Confirmatur, nam ita se habet claritas in actu cognitionis, sicut feror in actu amoris: at non dicitur amor adæquatus obiecto amabili, qui solum adæquatur illi extensivæ, & non intensivæ: ergo nec cognitio erit adæquata obiecto cognoscibili, quæ tantum adæquatur illi extensivæ, & non intensivæ. Maior patet, quia non minus actus cognitionis, quam amoris determinatur ad certam intensiorem ab ipsa virtute obiecti. Minor probatur nam posset Angelus superior diligere inferiorem quoad omnia, quæ in ipso videt extensivæ, non autem intensivæ: cum enim hic actus amoris Angeli superioris erga inferiorem sit liber, poterit attemperari, quoad intensiorem feroris, atque adeo non ferri in illum iuxta amabilitatem ipsius. Quod autem talis amor non esset adæquatus amabilitati obiecti, constat; quia, vt suppono, talis amor non attingeret

intensionem

intensionem feruoris, quo Angelus inferior diligit seipsum: sed amor, quo Angelus inferior diligit seipsum, est adæquatus amabilitati ipsius: igitur amor, quo Angelus superior diligit inferiorem, non est adæquatus amabilitati ipsius Angeli inferioris.

9. Sed contrà, nam aduersarius contendit, non posse dari cognitionem adæquatam extensiuè, quin eadem sit etiam adæquata intensiuè, eò quòd tota intensio & claritas cognitionis ordinatur ad obiectum perfectius penetrandum: ergo vbi hoc fuerit penetratum extensiuè, quoad omnem entitatem & perfectionem absolutam, & respectuam, non erit intensior cognitio necessaria: igitur frustra præter cognitionem extensiuam requiritur intensiua, quia hæc non datur, vt distincta ab extensiua, sicut nec adæquata intensiuè distincta ab adæquata extensiuè.

10. Respond. 1. Esto non detur cognitio adæquata extensiuè, quin eadem sit etiam adæquata intensiuè, adhuc tamen ad explicandam naturam comprehensionis rectè dicimus, illam formaliter & præcisè non consistere in sola extensione obiectiua, sed etiam in intensione & claritate subiectiua, quæ exigitur ab obiecto ipso.

11. Secundò nego, dari non posse cognitionem adæquatam extensiuè, inadæquatam verò intensiuè: Nam potest obiectum per virtutem determinatiuam suam inadæquatè intensiuè concurrere cum potentia ad cognitionem totius suæ entitatis & perfectionis extensiue; igitur dabilis est cognitio adæquata extensiuè, inadæquata verò intensiuè. Consequentia constat, quia talis cognitio exprimeret omnem perfectionem extensiuam obiecti, cum esset producta ab omni perfectione extensiua illius; & tamen non cum eadem claritate & intensione, quæ exigitur ab obiecto; quia non esset producta per adæquatum concursum intensiuum totius virtutis determinatiue obiecti. Antecedens probo, quia potest obiectum, saltem diuina virtute, non concurrere, quantum potest intensiuè, cum potentia ad cognitionem totius suæ entitatis & perfectionis extensiuè; nam licet obiectum sit indiuisibile intensiuè formaliter, vt est substantia spiritalis, est tamen diuisibile virtualiter, quatenus potest intensius & intensius cum potentia concurrere, ad clariorem & clariorem notitiam, circa eandem indiuisibilem entitatem sui; quæ, quia in se formaliter indiuisibilis est, per quamlibet cognitionem intuitiuam tota videtur: quia verò eadem est virtualiter diuisibilis, per virtutem determinatiuam in ordine ad actum intensiorem & intensiorem, commensuratum propriæ cognoscibilitati, non videtur totaliter nisi per cognitionem intensiuè adæquatam virtuti determinatiue obiecti. Quo fit, vt quamuis obiectum sit indiuisibile quoad entitatem, diuisibile tamen sit quoad cogno-

scibilitatem; quoniam hæc non attenditur absolutè in se, sed respectiuè in ordine ad cognitionem, per quam exprimi potest clarius & clariùs, iuxta concursum virtutis determinatiue obiecti, & virtutis cognoscitiue subiecti. Confirmatur, quia posset obiectum concurrere adæquatè extensiuè, & intensiuè in ratione obiecti cum potentia, inadæquatè concurrente in ratione potentie: sed tunc sequeretur cognitio adæquata extensiuè, quia omnia viderentur in obiecto, adæquatè concurrente in ratione obiecti; inadæquata verò intensiuè ex parte potentie. Igitur non repugnat cognitio adæquata extensiuè, inadæquata verò intensiuè.

12. Ad argumentum igitur in forma, nego antecedens: ad cuius probationem dico, totam intensionem, & claritatem cognitionis ordinari ad perfectius penetrandum obiectum, vel quoad extensionem, vel quoad virtualem intensionem, & diuisibilitatem ipsius obiecti. Vnde nego paritatem, quod sicut non datur cognitio adæquata intensiuè, distincta à cognitione adæquata extensiuè; ita nec cognitio adæquata extensiuè, distincta à cognitione adæquata intensiuè, quia cognitio adæquata intensiuè includit essentialiter adæquationem extensiuam: nam cognitio adæquata intensiuè, est cognitio producta à potentia adæquatè determinata à tota virtute motiua obiecti, & lumine eiusdem ordinis, & rationis: cognitio verò adæquata extensiuè non includit formaliter adæquationem intensiuam, quia vel illa produci potest à tota virtute obiecti adæquata extensiuè, inadæquata verò intensiuè; vel à potentia inadæquatè concurrente in ratione potentie.

13. Vel certè distinguenda est duplex extensio in obiecto, altera intrinseca, & constitutiua ipsius, altera extrinseca, & determinatiua tantum: adæquatio prioris extensionis, est essentialiter connexa cum adæquata cognitione intensiua eiusdem, non autem adæquatio posterioris extensionis; possum enim comprehendere totam entitatem, & perfectionem intrinsecam obiecti, non comprehensibilis terminis, ad quos virtus ipsa intrinseca obiecti se extendit: at non possum comprehendere totam perfectionem obiecti, non comprehensibilis tota perfectione constitutiua ipsius. Cuius ratio est, quoniam ad perfectam comprehensionem rei sufficit, si adæquatè cognoscatur tota entitas, & perfectio intrinseca ipsius, alioquin si ad comprehensionem rei, præter comprehensionem intrinsecam entitatis, & perfectionis ipsius, necessaria etiam foret comprehensio extrinseca cuiuscunque termini, cum quo res ipsa connexionem habet, nulla creatura posset aliam comprehendere: consequens est falsum; nam omnes concedunt, Angelum superiorem comprehendere inferiorem, & quamlibet rem sublaparem naturalem. Sequelam probo, tum quia omnis creatura essentialiter connexionem

habet cum omnipotentia Dei, tanquam effectus cum sua causa: implicat autem, omnipotentiam Dei naturali cognitione intuitiva cognosci, nedum comprehendi. Tum quia, cum intellectus Angelicus posset infinitos actus specie diuersos, per ordinem ad infinita obiecta specie diuersa, quæ successiue intelligere posset, elicere, nullus Angelus posset talem intellectum comprehendere, nisi comprehensus infinitis actibus, & obiectis specie diuersis, ad quæ intellectus Angelicus potest se extendere: similiter nec posset materia prima comprehendere, nisi comprehensus infinitis formis, ad quas dicit ordinem. Ad perfectam igitur comprehensionem rei non est necessaria comprehensio extrinseci termini, ad quem res ordinatur, sed sufficit comprehensio solius entitatis, & perfectionis intrinsecæ, cum sola notitia abstractiua termini sub aliqua ratione communi, sub qua res ipsa terminatur.

14. *Obijcies 1.* Implicat obiectum determinare potentiam ad clariorem notitiam sui, quin illam determinet ad perfectionem aliquam, vel modum in ipso obiecto de nouo cognoscendum. Assumptum probo, tum quia sicut implicat, cognoscere de nouo obiectum, & non cognoscere aliquam perfectionem nouam in ipso obiecto: ita cognoscere clariùs, & perfectiùs idem obiectum, & non cognoscere nouam aliquam perfectionem, vel modum in eodem obiecto; tum quia nouo gradui cognitionis respondere debet nouus gradus, vel perfectio ex parte obiecti, cum totum esse cognitionis sit ad manifestandum obiectum.

15. Resp. Distinguendo antecedens, implicat obiectum determinare potentiam ad clariorem notitiam sui, quin illam determinet ad nouam perfectionem, vel modum antea non cognitum, nego; ad eandem perfectionem vel modum clariùs cognoscendum, concedo. Vnde ad priorem probationem, nego consequentiam, quia quando primò cognoscitur obiectum, nullo modo supponitur antea cognitum, atque adeò implicat, illud de nouo cognoscere, & nullam perfectionem de nouo in illo videre; at quando supponitur iam cognitum, non implicat, idem secundum eandem perfectionem clariùs cognoscere. Ad posteriorem verò dico, sat esse, si nouo gradui cognitionis respondeat eadem perfectio, idemque gradus perfectionis clariùs cognitus: nam sicut datur maior, & minor claritas subiectiua ex parte actus, ita maior, & minor claritas obiectiua ex parte obiecti. Eadem igitur perfectio secundum maiorem claritatem obiectiuam respondet clariori cognitioni subiectiua. Quod explicari potest exemplo amoris, quo aliquod obiectum diligimus, & non secundum adæquatam diligibilitatem ipsius: nihil tunc est in obiecto, quod non diligamus, non tamen dicimur illud adæquatè diligere, quia non

diligimus, illud actu, quoad intentionem proportionato diligibilitati obiecti. Vnde quando intensiore actu ad illud idem ferimur, nihil tali actui respondet ex parte obiecti, quod antea non fuerat dilectum, respondet tamen idem obiectum, secundum maiorem diligibilitatem obiectiuam ipsius.

16. *Obijcies 2.* Si ad comprehensionem præter extensiuam representationem omniū, quæ sunt in obiecto, necessaria esset intensiua perfectio in claritate, non posset statui certa claritas, & intensio, quæ necessaria esset in actu comprehendente obiectum, cum illa nō solum proueniat ab obiecto, sed etiam à potentia ipsa cognoscitiua: idem enim obiectum per eandem speciem adæquatam sui comparatum ad diuersas potentias magis, aut minus perfectè, clariore, aut minùs clarà cognitione postulat representari. Respondeo. Non quamcunque claritatem actus naturaliter exigi ab obiecto, sed eam dumtaxat, quæ per adæquatam speciem sui, & lumen eiusdem perfectionis, & ordinis deriuatur in actum: vnde omnis alia claritas, & perfectio, quæ prouenit à lumine altioris ordinis, non exigitur connaturaliter ab obiecto: quia obiectum sicut non exigit representari per speciem perfectionis entitatis; ita nec per lumen altioris ordinis: nam species & lumen sese mutuò respiciunt in ordine ad idem obiectum, tanquam principia eiusdem actus, expressiui eiusdem obiecti.

17. Ad argumenta secundæ sententiæ, ad auctoritatem Augustini respondet S. Thom. 1. parte quæst. 12. art. 7. ad 2. comprehensionem esse, cum res ita videtur, vt nihil ipsius lateat videntem, neque quoad entitatem, neque quoad modum cognoscibilitatis; qui modus licet se teneat ex parte actus, exigitur tamen ab obiecto ob sui virtutem diuisibilitatem. Vnde idem August. 12. de Ciuit. Dei cap. 18. comprehensionem definit, quæ scientis comprehensione finitur, quod est, vt S. Thomas præcitato loco explicat, quando ad finem in modo rem cognoscendi peruenitur.

Augustin.

S. Thomas.

18. Ad Confirmationem distinguo consequens: nam si tota entitas & perfectio rei cognoscibilis dicat etiam modum ipsius cognoscibilitatis, concedo totum; si solam entitatem, & perfectionem extensiuam, nego consequentiam: & disparitas est, quia ad comprehensionem intellectualem, non solum spectat intellectualis, continentia obiecti, sed etiam modus ipse continentie magis, aut minus clarus; nam hæ sunt per se differentie cognitionis; ad materialem verò comprehensionem solum pertinet adæquata continentia corporis locati à corpore locante.

19. Ad auctoritatem S. Thomæ respondeo, eius discursum tantum procedere à posteriori, non à priori; quia, vt supra ostendimus, ex cognitione omnium possibilium in Verbo rectè inferitur intensiua, & adæquata cognitio Dei.

S. Thomas.

20. Ad rationem, distinguenda est maior: etenim si ly *ex parte cognoscentis*, dicat modum qui ab obiecto exigitur, neganda est maior; nam comprehensio includit hunc modum, quia *tunc*, vt S. Thomas docet, *res videtur totaliter, quando modus obiecti sit modus ipsius cognoscentis*, hoc est, vt quæstione 8. de veritate articulo 2. ad 2. explicat, *quando visio per comparisonem ad rem visam habet modum videndi totalem*. Si ly *ex parte cognoscentis*, dicat modum qui ab obiecto non exigitur, concedenda est maior, sed neganda minor, eiusq; probatio: nec propterea, quod res videtur tota quoad entitatem, & tamen intelligibiliter non comprehendatur, sequitur, quod res plus habeat de intelligibilitate, quam de entitate; nam intelligibilitas rei non sequitur ad eius entitatem quomodo-
cunque, sed vt determinatiua est potentiae ad modum cognitionis, propriæ virtuti commensuratum: Ergo licet videatur tota entitas; quia tamen non videtur cognitione adæquante totam vim determinatiuam ipsius, non videtur totaliter; proinde nec intelligibiliter comprehenditur.

SECTIO II.

An possit Deus comprehendi ab intellectu creato?

21. **R**atio dubitandi est, quia sicut naturæ humanæ vnium est Verbum quoad totum esse personale, ita vniri poterit quoad totum esse intelligibile, maius quippe est, vniri Deum creaturæ quoad esse personale, quam quoad esse intelligibile: quia illud fit per vnionem substantialem, & facit in recto Deum; hoc per vnionem accidentalem.

22. Constans tamen est omnium Patrum, & Scholasticorum sententia, Deum à nullo intellectu creato comprehendi posse. Controuersia tantum est in assignanda ratione, quæ tota pendet ex prædeclarata natura comprehensionis.

Nominiales. 23. Nominales eam rationem assignant, quia nulla creata cognitio possibilis est, quæ adæquet cognitionem, quam Deus habet de seipso: igitur possibilis non est comprehensio creata Dei. Antecedens patet. Consequentiam probant, quia comprehensio est cognitio omnium perfectissima, quæ de obiecto haberi potest. Verum si hæc ratio supponit, comprehensionem esse perfectissimam cognitionem, quæ simpliciter de obiecto haberi potest, refutata manet ex dictis; si perfectissimam, quæ ab obiecto exigitur, non explicat, cur ea tantum, quam Deus habet de seipso, sit omnium perfectissima quæ ab obiecto exigitur.

24. Auctores verò secundæ sententiæ præcedente sectione citati, hanc rationem ex ipsorum principiis reddunt. Compre-

hensio est adæquata cognitio omnium, quæ formaliter, & eminenter sunt in obiecto: impossibile est autem cognitio creata omnium, quæ formaliter, & eminenter sunt in Deo: igitur impossibilis est Dei creata comprehensio. Verum hæc ratio falso nititur fundamento, vt ex dictis constat, & in subiecta materia sic amplius explico. Ex distincta cognitione possibilem, quæ eminenter sunt in Deo, nulla noua perfectio intrinseca videtur in ipso Deo, quæ sine tali cognitione non videretur: ergo si aliunde ad cognitionem comprehensiuam non requiritur cognitionis intensio obiecto proportionata, impertinens est possibilem cognitionem ad Dei comprehensionem. Antecedens aduersarij non negant; alioqui sine cognitione possibilem tota Dei substantia non videretur. Cuius ratio est, quia possiblem sunt tantum extrinseci termini diuinæ potentiae, ad quos nullum dicit respectum realem; vnde nulla noua perfectio extensiuam intrinseca cognoscitur in Deo ex eorum distincta notitia. Consequentia verò probatur, quia cum per quamlibet intuitiuam notitiam videatur omnis perfectio, & formalis, & eminentialis in Deo, si aliunde ad comprehensionem non requiritur certa claritas, & intensio obiecto proportionata, non est, cur in eorum doctrina talis cognitio non sit comprehensio.

25. At dicunt, idè talis cognitio non est comprehensio, quia licet videatur tota entitas, & perfectio Dei, quia tamen ex vi eiusdem cognitionis non videntur distinctè omnia, quæ ab ipso emanant vel emanare possunt, non dicitur comprehensio. Sed contrà, nam hoc est, quod contendimus, nempe distinctam cognitionem eorum, quæ à Deo emanant, vel emanare possunt, non pertinere ad comprehensionem ipsius Dei; nam neque hæc obiecta sunt intrinseca Deo, neque ex eorum distincta notitia cognoscitur aliqua noua perfectio in Deo, quæ sine illa non cognoscitur; comprehensio namque est tantum eorum, quæ intrinseca sunt, & substantialia obiecto: alioqui, vt præcedente sectione inferebamus, nulla res creata, quantumvis minima comprehendi posset ab Angelo, quod est contra communem sententiam Theologorum.

26. Confirmo hoc ipsum ad hominem contra Vasquez, qui disputatione 143. cap. 4. & 5. contendit, Verbum diuinum procedere ex sola cognitione essentiae, non autem creaturarum possibilem, cum tamen ipsemet doceat, Verbum procedere ex cognitione comprehensiuam Dei: igitur in eius sententia cognitio possibilem non facit ad comprehensionem Dei; alioqui non posset ex eorum notitia non procedere; cum necessarium debeat procedere ex notitia comprehensiuam Dei. Confirmatur: quoniam si cognitio possibilem requireretur ad melius cognoscendum Deum extensiuè tantum,

Vasquez.

non autem intensiue, sequeretur, quod si omnia possibilia cognoscerentur distincta cognitione ab ea, qua cognoscitur Deus ipse, ut iam concedit Vasquez disputatione 50. cap. 7. vel si per impossibile ex distincta cognitione omnium possibilium in Verbo non sequeretur intensior cognitio Dei, adhuc ab intellectu creato comprehenderetur Deus, vel per duplicem cognitionem Dei, & possibilem, ut in primo casu, vel per eandem auctam tantum extensiue circa possibilia, ut in secundo.

27. Ego ex iactis principiis de natura comprehensionis hanc assigno rationem, cur Deus sit incomprehensibilis a creatura. Comprehensio est cognitio omnium perfectissima, quam postulat obiectum: sed Deus postulat cognitionem in claritate infinitam: implicat cognitio creata in claritate infinita: igitur implicat creata comprehensio Dei. Maior patet ex dictis. Minor subsumpta constat ex ratione infiniti ut sic, & ex ratione talis infiniti. Minorem assumptam probo, tum quia Deus ut obiectum intelligibile non minorem postulat cognitionem, quam ipsemet de seipso habet: sed hac est infinita claritatis, & incommunicabilis creaturæ: maiorem ostendo, nam Deus non est magis intellectuius, quam intelligibilis, quippe cum eius intellectiuitas sit commensurata ipsius intelligibilitati, cum utraque adæquate consequatur ipsius naturam, imò sit ipsamet Dei natura: ergo cognitio, quam Deus ut intelligibilis postulat, non est in claritate minor, quam ipse de seipso habet. Tum a priori sic, cognitio, quam vnaquæque natura intellectualis de seipsa postulat, est cognitio commensurata propriæ intelligibilitati, adæquate procedens ex virtute determinatiua, & intellectiua sui: igitur cognitio, quam Deus de seipso postulat, est cognitio commensurata propriæ intelligibilitati, adæquata virtuti determinatiuæ, & intellectiue suimet ipsius: hac autem, ut patet, est infinita, & incommunicabilis creaturæ, adæquatur enim infinitæ intelligibilitati, & intellectiuitati Dei: ut autem queat vna natura adæquate intelligere aliam, debet esse tantæ intellectiuitatis, quantæ intelligibilitatis est alia. Lege Scotum in 3. dist. 14. quæst. 2. ad primum.

Scotus.

28. DICES: Ex hac ratione tantum sequitur, non posse creaturæ Dei comprehensionem communicari ut causæ principali, non autem ut causæ instrumentali, sicut potest Angelo inferiori instrumentaliter communicari comprehensio Angeli superioris, licet non posset principaliter. Sed contra, nam cognitio est causa formalis principalis in representando obiecto: implicat autem cognitioni creatæ communicari eam claritatem, quæ formaliter requiritur ad comprehendendum Deum: non implicat autem Angelo inferiori communicari claritatem, quæ formaliter requiritur

ad comprehendendum Angelum superiorem; quia hæc finita est, & potest a Deo efficienter suppleri; illa verò deberet esse infinita: implicat autem cognitio creata infinita; igitur.

29. Ad rationem dubitandi, ratio discriminis est, quia esse personale communicatur formaliter, proinde totum communicatur: esse verò intelligibile communicatur effectiue: implicat autem, ut Deus se totum effectiue secundum esse intelligibile communicet creaturæ, quia implicat effectus creatus infinitus: non implicat verò ut se totum communicet creaturæ formaliter, quia hoc esse non est distinctum ab ipso Deo. Ad probationem, esto communicatio secundum totum esse personale sit maior, non tamen repugnat, sicut communicatio secundum totum esse intelligibile. Quoniam hæc fieri debet, mediâ intellectiue creatæ infinitæ, quæ implicat, illa, mediâ vnioune finitæ, quia vno non postulat, ut in essendo adæquetur termino vnioune, sicut comprehensio in representando obiecto intelligibili.

30. Sed adhuc controuersum est inter Doctores, an sit de fide, Deum a nullo intellectu creato comprehendi posse. Negat Vasquez disputatione 52. cap. 2. solumque Vasquez ait, esse certum auctoritate Scholasticorum, cuius oppositum tantum putat esse temerarium. Primum, quia in assignanda natura comprehensionis variant Theologi: nequit autem ad fidem spectare, quod a Catholicis ad litem vocatur. Secundum, quia etiam Deus dicitur in Scripturis, & Concilijs ineffabilis, cum tamen certum sit, a beatis mentis lingua effari, atque exprimi posse, ut in se est; nam qua ratione illum cognoscunt, mentis verbo exprimunt, atque eloquuntur.

31. Affirmant verò Scotus in 4. distinctione 49. quæstione 3. articulo 1. conclusionem 1. Molina, Bannez, Zumel, Gonzalez, Arrubal, Fasolus, in prima parte quæstione 12. articulo 7. Suarez libro 2. de Attributis diuinis capite 5. & 3. parte disputatione 26. sectione 1. Medina ibidem quæstione 10. articulo 1. Cabrera disputatione 2. Quæ sententia verior est, ut constat ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. relato capite *Firmiter* de Summa Trinitate, & Fide Catholica, vbi eodem modo definitur, Deum esse Incomprehensibilem, atque Vnum, Æternum, Imensum, Immutabilem, Omnipotentem: atqui de Fide est, Deum esse vnum, æternum, &c. ergo & Incomprehensibilem.

32. Ad primum argumentum Vasquez nego, non posse aliquid certè ab Ecclesia definiri, de cuius natura controuertitur inter Scholasticos; definitur enim a Concilio Tridentino, Sacramentalem conuersionem panis & vini, in corpus, & sanguinem Christi Domini, esse transsubstantiationem, de cuius tamen natura disputatur

inter

Scotus.

Molina.
Bannez.
Zumel.
Gonzalez.
Arrubal.
Fasolus.
Suarez.
Medina.
Cabrera.
Concilium
Lateran.Vasquez.
Concilium
Tridentin.

inter Theologos. Item definitur, Deum esse immensum, æternum, omnipotentem; cum tamen controuersum sit, quid de ratione immensitatis, æternitatis, & omnipotentiae sit. Cuius ratio est, quia potest aliquid ab Ecclesia definiri solum, an sit, non autem, quid sit. Ad argumentum in forma, nego variare Theologos, an Deus sit incomprehensibilis, quod tantum pertinet ad dogma fidei, sed tantum, quid Dei comprehensio sit, quod ad fidem non spectat.

33. Ad secundum respondeo, eodem modo Concilia definire, Deum esse ineffabilem, quo definiunt, esse incomprehensibilem: at sicut non definiunt esse incomprehensibilem, prout incomprehensibili-

tas negat omnem claram visionem de Deo, sed prout tantum negat adæquatam: ita definiunt, esse ineffabilem; non prout ineffabilitas negat omne verbum mentale, aut vocale de Deo, sed prout tantum negat verbum adæquatè exprimens. Effabilitas enim, vel ineffabilitas rei immediatè oritur ex cognitione eiusdem rei: igitur quâ ratione res est cognoscibilis, est etiam effabilis vel ineffabilis: cum igitur Deus clarè cognoscatur à beatis, clarè etiam effatur ab illis; quia tamen non cognoscitur adæquatè, nequit ab illis adæquatè effari; in quo sensu à Concilio Lateranensi definitur, Deum esse ineffabilem.

DISPUTATIO XI.

SECTIO VNICA.

*An Deus sit nominabilis nomine significante ipsum
sicuti est?*

I.  VÆSTIO supponit, Deum aliquo modo nominari posse, quod præter experientiam, ratio ipsa confirmat: nam quo pacto Deum concipimus, ita & illum nominare possumus, quia nomen sequitur conceptionem rei: est enim nomen signum rei conceptæ. Hoc ergo supposito, ulterius quærimus, an nominari possit, nomine significante, *sicuti est*, distinctè & quidditatiuè. Quæstio autem est tam de viatoribus, quam de comprehensoribus.

2. PRIMA sententia negat, Deum ab ullo viatore. aut comprehensore, quin neque ab ipso Deo nominari posse, nomine significante ipsum, *sicuti est*: est Bannez 1. parte quæst. 13. art. 1. concl. 2. Zumel ibidem quæst. vnic. concl. 4. Suarez lib. 2. de attributis Diuinis cap. 31. num. 18. Probatur, nam Deus capite *Firmiter* de summa Trinitate, & Fide Catholica, definitur *ineffabilis*; quod etiam colligitur ex Scriptura Prouerb. 30. & patribus, passim asserentibus, Deum nullo nomine exprimi posse.

3. Secundò: Probatur ratione, quia nomen ad hoc imponitur, vt audiens vi illius deueniat in notitiam rei significatæ: atqui nullum est nomen, vi cuius audiens deuenire possit in notitiam Dei, vt est in se: igitur nullum est nomen, quod Deum significare possit, vt est in se. Maior probatur, quia nomen est symbolum, quo vtimur ad rem medio nostro conceptu alteri significandam: ergo intrinsecus finis ipsius est, alteri significare rem, vt à nobis conceptam, & significando audientem ducere in notitiam rei conceptæ. Minorem ostendo, quia no-

men ducit audientem in notitiam rei significatæ, medio conceptu loquentis per nomen importato: sed conceptus loquentis per nomen importatus nequit ducere audientem ad intuitiuam notitiam rei à loquente conceptæ. Nam vel iste conceptus est abstractiuus, & nequit esse ratio cognoscendi rem intuitiuè, vel est intuitiuus, & nec iste potest esse audienti ratio intuitiuè cognoscendi rem, à loquente conceptam, tum quia nomen non manifestat audienti conceptum loquentis physicè & intuitiuè, sed moraliter, & abstractiuè; quia non manifestat illum, vt signum naturale, intrinsecam connexionem habens cum re significata; sed vt signum ad placitum, extrinsecam dumtaxat connexionem habens, ex mera voluntate instituentis, cum re ipsa significata. Tum quia non posset vi talis conceptus, intuitiuè cogniti, audiens intuitiuè cognoscere rem, à loquente conceptam, nisi talis conceptus esset idem cum re concepta, qualis est conceptus, quem Deus habet de seipso. Cuius ratio est, quia conceptus intuitiuus non continet obiectum realiter, sed intentionaliter; vnde non potest esse ratio videndi illud intuitiuè, nisi intellectui, ad quem comparatur vt species expressa, & vitalis imago. Atqui conceptus loquentis non est species expressa, & vitalis imago intellectus audientis, sed loquentis: nequit igitur, etiam vt intuitiuè cognitus esse audienti ratio intuitiuè cognoscendi rem à loquente conceptam. Ergo nequit clara visio, quam de Deo beatus habet, etiam vt apertè manifestata, esse alteri ratio intuitiuè cognoscendi Deum.

Bannez.

Zumel.

Suarez.

Concilium
Lateran.

Prouerb. 30.